

CAPUT V.

DE SATISFACTIONE.

ARTICULUS I.

AN CUM CULPA SEMPER OMNIS PŒNA REMITTATUR ?

217. *Nota I.* Gehennæ pœna triplex est; prima respondens malitiæ, qua peccator a Deo avertitur, est privatio visionis Dei, quæ pœna damni dicitur; altera est pœna sensus, quæ respondet inordinatæ conversioni ad creaturas; tertia est utriusque pœnæ æternitas, respondens offensi Regis æterni et infiniti implacabili iræ. Harum primam et tertiam semper cum culpa remitti nemo inficiatur: secundam item pœnam remitti omnem in baptismi sacramento certum est, uti etiam in baptismo sanguinis seu martyrio, et in perfecto flaminis baptismo, hoc est, per pœnitentiæ et contritionis actus vehementes admodum ex amore puro Dei profectos. Disputatur ergo in præsens inter Catholicos et Hæreticos, an hæc eadem pœna pœnitentibus extra dictos casus baptismatis semper una cum peccato remittatur, an vero adhuc in ista aut futura vita in purgatorio luenda restet?

Nota II. Quanquam autem Lutherus in assertionem articulorum suorum, art. 5. admittat reatum pœnæ temporalis in hac vita post culpam remissam: idem tamen alias negavit, ullam pœnam a Deo exigi post culpam, ut intelligimus ex concione de indulgentiis habita anno 1518. et ex Asteriscis, quos opposuit Eckii Obeliscis, ad initium secundi Asterisci. Quem errorem secuti sunt Calvinus L. 3. Inst. c. 4. §. 31. et 32. ubi docet, pœnas justis non in vindictam scelerum præteritorum infligi, sed tantum paterne eos castigari ad emendationem et profectum in posterum. Idem tradunt Melanchthon in locis ultimo editis tit. de Satisfactione, Kemnitius in 2. parte Examinis pag. 1074., Dallæus in peculiari libro hac de re edito, et cæteri Lutherani et Calvinistæ, consecutione necessaria ex errore alio, quo adstruunt, pœnitentiæ sacramentum non distingui a baptismo, sed pœnitentem ex memoria baptismi olim suscepti tam perfecte renovari quoad condonationem omnis culpæ et pœnæ, quam perfecte renovabatur, cum primum baptizaretur, quem errorem supra n. 103. confutavimus.

218. *Dico.* Quando peccator Deo reconciliatur, non semper ei remittitur tota pœna temporalis. Hæc est doctrina Catholica, quam confirmavit Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 14., et can. 30. et Sess. 14. cap. 8. et can. 12., 13., 14.

Prob. I. Peccatum suum Adamus pœnitentiâ expiavit, ut traditur Sap. 10. v. 2., idem peccatum originale Adami posteris remittitur per Baptismum et

Pœnitentiâ, ac nihilominus pœnæ temporales seu pœnalitates Adamo ipsi fuerunt inflictæ Gen. 3. v. 19., easdemque ejus posteri ob criminis communionem omnes subeunt, teste Apostolo Rom. 5. v. 12.: *Ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

Exemplum alterum nobis exhibent multi, qui diluvio perierunt Genes. 6., quos pœnitentes suorum criminum fuisse colligimus ex 1. Petri 3. v. 19. et 20.

Item Num. 12., postquam Mariæ sorori suæ Moyses veniam exorasset peccati murmurationis, ob quod lepra divinitus fuerat percussa, hæc tamen adhuc una hebdomade pœnas criminis dare debuit.

Exod. 32. Dei instinctu jussit Moyses interfici viginti tria hominum milia ob peccatum jam remissum ad preces Moysis: de reliquis autem, quos ejusdem peccati jam pœnituerat, et quorum peccatum Moyses iterato deprecabatur, ait Deus v. 34.: *Ego autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum.*

Omnes adulti Israelitæ, qui murmuraverant contra Deum, prohibiti sunt ab ingressu terræ sanctæ, licet ipsis Deus ad preces Moysis peccatum dimiserit, Num. 14. v. 20. Imo Moyses ipse et Aaron in ultionem diffidentiae ad aquas contradictionis admisse non permittebantur populum in terram promissam inducere, sed debebant mortem in deserto obire, Num. 20. et Deut. 32. v. 49.

David quoque Deus veniam peccatorum adulterii et homicidii dedit, 2. Reg. 12., id nihilominus v. 14. adjecit: *Veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Dei propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morietur;* et ante v. 10. dixerat: *Quam ob rem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum.*

Eundem David licet peccati, quod numerando populum commisit, pœnitisset, atque is sine dubio Deum placasset, pœna tamen hujus delicti relaxata non fuit, sed optionem ei Deus per Gad prophetam reliquit aut famis septem annorum, aut trium mensium fugæ ab hostibus, aut pestilentiae dierum trium, ut ibid. c. 24. recensetur.

De filiis et posteris David legimus Ps. 88. v. 30.: *Si autem dereliquerint filii ejus legem meam;... visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eo.*

Denique Apostolus 1. Cor. 11. v. 30. ait, multos Christianorum ob indignam S. Eucharistiæ communionem morbis et morte punitos fuisse, quibus tamen veniam indultam peccati fuisse meminif ibidem mox subdens: *Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.*

Prob. II. Multi Patres suadent, orandum esse pro mortuis, et locum esse aliquem post hanc vitam, in quo peccata expurgentur. Alii pro peccatis propriis satisfaciendum esse docent, ut S. CHRYSOSTOMUS homil. de Pœnit. et Confessione (opp. t. 5. p. 364. A. edit. latin. Ducei): *Ne peccantes, inquit, et inulli manentes nos officeremur deteriores, non remisit nobis supplicium; sed vidit hoc manifeste, quod peccatis ipsis non minus damnosum sit non puniri: propter hoc imponit pœnam.* S. AUG. in Ps. 50. ad hæc verba: *Veritatem dilexisti, ita commentatur: Id est, impunita peccata etiam eorum quibus ignoscis, non reliquisti: sic misericor-*

diam prorogasti, ut servares et veritatem. Plura in hanc rem habet Enchiridii c. 70. et seqq. Et Auctor libri de vera et falsa pœnit. c. 48. : *Etiamsi conversus, inquit, vita vivat; non tamen promittimus, quod evadat omnem pœnam.* GREGORIUS M. L. 9. Moral. c. 27. (al. c. 34. opp. t. 1. p. 313. C.) : *Nequaquam, inquit, peccato parcitur; quia nullatenus sine vindicta laxatur: sic David audire post confessionem meruit: Dominus transtulit peccatum tuum, et tamen nullis post cruciatibus afflictus ac fugiens, reatum culpæ, quam perpetraverat, exsolvit.*

Prob III. Rationem reddit Concilium TRIDENTINUM ex cap. 6. epist. ad Hebræos. Convenientius fuit, ut homo in regeneratione per Baptismum perfecte omnino renovaretur, extinguerenturque omnia peccata cum toto ipso reatu, eo quod originale trahebatur ab alio, peccata vero actualia fuerint commissa in statu imperfecto ab homine, qui viribus gratiæ et lumine fidei carebat. At Pœnitentia applicatur tantum ut medicina, sanans quidem, sed non tollens omnem cicatricem; quare decet, ut homo, quantum potest, ad peccati remissionem cooperetur, satisfaciendo saltem pro reatu pœnæ temporalis: nam æterna per gratiam cum culpa dimittitur. Ita S. AUGUSTINUS L. 2. de peccatorum merit. c. 34.

219. *Obj. I.* Pœnæ illæ, quarum S. Scriptura meminit, non fuerunt inflictæ a Deo ut iudice in vindictam criminum, hoc enim ad solos inimicos pertinet; sed erant virgæ et correptiones paternæ ad futurorum remedium, ne tam facile peccator relabatur; ergo.

R. *N. Ant.* Elsi fateamur, flagella resipiscentium esse etiam paternas castigationes, et remedia adversus relapsus futuros: sunt tamen etiam vera supplicia et satisfactiones debitæ culpæ præteritis ex justitia: Davidi enim non dicebatur, filius morietur, ne posthac pecces, *verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini*, etc.: sed et David ipse optimus voluntatis Dei interpres, aliis pro peccato suo satisfactionibus, videlicet lacrymis, jejuniis, humicubatione mortem filii amoliri studuit. Deinde mors communis omnibus hominibus decreta est antequam in peccata personalia laberentur; ergo eam pœnam luunt, non ut a peccato abstineant, sed ut justitiæ satisfaciunt, etiam infantes præcoqua morte abrepti. Hinc Rom. 6. v. 23. dicitur, *stipendia peccati mors*. Quin imo cum Deus ipse mortem, quam Israelitis, quæis reconciliatus fuerat, in pœnam dictasset, adjecit: *Et scietis ultionem meam*, Num. 14. v. 34. Denique ridiculum est dicere, puniri ideo homines morte, ut cautius postea vivant.

Inst. 1. CHRYSOSTOMUS nuper cit. scribit: *Propter hoc imponit pœnam, non de peccatis sumens supplicium, sed ad futura nos corrigens.* Et consentit Augustinus L. 2. de peccat. mer. c. 33. et 34.; ergo.

R. *N. Cons.* Ambo Patres docent, a Deo supplicia infligente magis intendi utilitatem nostram, quam peccati ultionem: uterque tamen diserte tradit, illa immitti in vindictam criminum.

Inst. 2. AUGUSTINUS nuper cit. c. 31. ait, mortem esse exercitationem virtutis; ergo.

R. *N. Cons.* Idem L. 13. de Civit. c. 6. pronuntiat, mortem procul dubio pœnam esse nascentis, etsi gloria etiam sit nascentis. Sane parvulis præ-

mature ex hac vita decedentibus mors et morbi nequeunt virtutis exercitationes esse.

220. *Obj. II.* Sublata causa tollitur effectus: at pœna est effectus peccati; ergo hoc remisso, illa tollitur.

R. *D. M.* Sublata causa tollitur effectus, i. e., si nulla sit causa, non erit effectus C. i. e., cessante causa desinit effectus, *subdist.* Si hujus conservatio pendeat a causa C. si effectus conservatio pendeat ex arbitrio alieno N. Nam multi effectus naturales ac morales suis causis sunt superstites. Quod ergo peccato dimisso reatus temporis pœnæ perseveret, ex Dei placito pendet, cui aliter in Baptismo, aliter in Pœnitentiæ sacramento placet peccata donare.

Inst. Deus Ezech. 18. v. 22. promittit, se oblivioni daturum peccata pœnitentium, nec illa ipsis porro nocitura: at vero satis illorum recordaretur, si vel temporaliter illa puniret; nec modice illa nocerent pœnitentibus; ergo.

R. *Explic. Maj.* Deus peccata pœnitentium obliviscitur, nec illa amplius nocent, quia semel condonata non amplius redeunt, nec Deus respectu illorum iterum avertitur ab homine ut inimico C. quasi nullam a pœnitente satisfactionem exigat N. Deus pœnitentem ut amicum et filium castigat, donec eum perfecte purget ac mundet, ut prædixit Isai. 1. v. 25.: *Convertam manum meam ad te, et excoquam ad purum scoriæ tuam.*

ARTICULUS II.

AN PRO PŒNA TEMPORALI SATISFACERE POSSIMUS?

Nota. Aliquas castigationes temporales Deus hominibus adeo firmiter decrevit, ut nullam pro iis redemptionem velit admittere, qualis est mors inevitabilis omnibus, Gen. 3. v. 19., Rom. 5. v. 12.; mors item præmatura filii David ex adulterio suscepti, 2. Reg. 12. v. 14.; Moysi etiam deprecanti pœnam, quam Num. 20. v. 12. ad aquas contradictionis incurrerat, reposuit Deus Deut. 3. v. 26.: *Nequaquam ultra loquaris de hac re ad me; et Jeremiæ 7. v. 16.: Tu ergo noli orare pro populo hoc...; quia non exaudiam te.* De hisce pœnis jam non est locus disputandi, sed de aliis, utrum bonis actibus et operibus redimi possint, non tantum satisfactione congrua, sed etiam condigna?

Negat Calvinus L. 3. Inst. c. 4. §. 30. et 36., ita concludens: Absit, ut alia unquam fuerit ἀπολύτρωσις, quam sanguis Christi. Lutherus in assertionem articulorum suorum art. 5. nomen quidem satisfactionis non admittit, concedit tamen, posse præveniri manum Dei, et pœnis sponte susceptis pœnas illas averti, quas alioqui ob scelera nostra merebamur. Quod idem admittit Melancthon in locis ultimo editis, tit. de Satisfactione, et apologia Confess. August. cap. de Confess. et Satisfact., Kemnitius in 2. p. Exam. pag. 1078.

221. *Dico I.* Pœnæ aliquot temporales peccatis debitæ possunt satisfactione congrua a pœnitentibus redimi.

Prob. I. Deus Paralip. 2. c. 7. promittit, se sterilitatem terræ aliasque plagas publicas cohibiturum, si populus ad pœnitentiam conversus deprecatus illas fuerit. Idem repetit Jerem. 18. v. 8.

Daniel c. 4. v. 24. suavitati Regi: *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Eccli. 3. v. 33. *Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis.* Tob. 4. v. 11. *Eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras.* Sed a culpa sola pœnitentia liberat; ergo eleemosyna liberat a pœna peccati. Huc pertinet, quod Prov. 16. v. 6. dicitur: *Misericordia et veritate redimitur iniquitas.*

Prob. II. Idem suadet in novo Testamento: Luc. 3. v. 8. Joannes Baptista hortatur: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Quæ verba Joannes CHRYSOSTOMUS homil. 40. in Matth. (opp. t. 7. p. 147. A.) PACIANUS epist. 3. ad Sympronianum (Patrol. t. 13. p. 1074. A.), alique Patres de submissione, fletu, jejuniis, aliisque asperitatibus sponte assumptis explicant, queis Deo satisfaciendo venturam ejus iram evadamus, ut Concilium TRIDENTINUM Sess. 14. cap. 8. fusiùs argumentatur. Hinc Apostolus 2. Cor. 7. v. 10.: *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur;* et 1. Cor. 11. v. 31.: *Quod si nosmetipsos diducamus, non utique judicemur;* ubi non solum jubet nos inquirere ac discernere peccata nostra, sed corrigere etiam, atque asperè punire, ut cum Patribus cæteris exponit idem CHRYSOSTOMUS homil. 24. (al. 23.) in Matth.

Denique innumera ejusmodi exempla extant in sacris paginis: ex quibus eminent Israelitæ, qui in L. Judicium toties ob defectionem suam a Deo castigati, easdem castigationes jejuniis, lacrymis et precibus averterunt. Ninivite Jonæ ult. eisdem mediis prædictum post quadraginta dies urbis excidium effugerunt. Manasses rex 2. Paral. 33. v. 12. agens pœnitentiam, e captivitate ereptus, et solio fuit restitutus. Achab intercessionem domus suæ sibi ab Elia intentatam jejuniis aliisque pœnitentiæ operibus distulit; 3. Reg. 21. v. 27. Job et David sponte se afflixerunt ob culpas sibi remissas, et pœnas eis debitas sunt deprecati.

Prob. III. Probat eandem doctrinam usus perpetuus Ecclesiæ, pœnitentibus opera laboriosa imperantis: et Patrum testimonia, queis ærumnosæ illæ satisfactiones laudantur et suadentur. TERTULLIANUS L. de Pœnit. c. 7.: *Pœnitere, inquit, non pigeat..., offendisti, sed reconciliari adhuc potes: habes, cui satisfacias, et quidem volentem* cap. 8.: *Confessio, satisfactionis consilium est, dissimulatio, contumaciæ.* cap. 9. *Satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur; pœnitentia Deus mitigatur.* Et paulo ante c. 6.: *Quam ineptum, quam iniquum, pœnitentiam non adimplere, et veniam delictorum sustinere: hoc est, pretium non exhibere, ad mercedem manum mittere: hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit; hac pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem.*

ORIGENES hom. 6. in Exod. (opp. t. 1. p. 130. A.): *Pœnitendo, inquit, flendo, satisfaciendo deleat, quod admissum est.* Et homil. 15. in Levit. (ibid. p. 262. D.) postquam docuit, peccata in hac vita redimi posse:

Quale, inquit, pretium? pœnitentiæ sine dubio lacrymis congregatum, et manibus, id est, labore boni operis inventum.

CYPRIANUS tract. de lapsis, c. 16.: *Dominus, inquit, orandus est, Dominus satisfactione nostra placandus... cap. 35.: Orare oportet impensius... diem luctu transigere... stratos solo adhærere, in cinere et cilicio et sordibus volutari.* Et cap. ultimo: *Qui sic Deo satisfecerit... non solam Dei veniam merebitur, sed coronam.*

Eisdem pene verbis utitur LACTANTIUS L. 4. Inst. cap. 17. et HILARIUS cap. 4. in Matth., AMBROSIUS L. de Elia et jejuniis cap. 20. n. 76. (opp. t. 1. p. 559. B.): *Habemus, inquit, plura subsidia, quibus peccata nostra redimamus; pecuniam habes, redime peccatum tuum... peccatis tuis venundatus es; redime te operibus tuis, redime te pecunia tua.* Et epist. 82.: *Quæ nobis salus esse potest, nisi jejuniis eluerimus peccata nostra?* Plura in hanc rem Patrum testimonia lege apud Bellarminum de Pœnit. L. 4. c. 9.

222. *Dico II.* Etsi Deo ex rigore justitiæ satisfieri non possit, justi tamen per opera pia pro pœnis temporalibus veterum peccatorum condigne satisfaciunt.

Prob. I. S. Scriptura et Patres tradunt, posse peccata piis operibus redimi, satisfieri Deo pro peccatis, opera bona esse satisfactiones pro pœnis peccato debitis, esse pretium ac pecuniam, queis peccata redimamus: atqui phrases istæ satisfactionem condignam exprimunt; ergo.

Prob. II. Satisfacere condigne et ex ea, quæ Deum inter et homines intercedere potest, justitia, est accedente multiplici Dei gratia ipsi satisfacere quodammodo ex propriis et ad æqualitatem: atqui hæc potest præstare homo justus; ergo. *Prob. min.* Tametsi Deus absolutus Dominus omnes actiones bonas nobis imperare possit; quia tamen multas a nobis pro potestate non exigit, sed illas laudando et suadendo nobis liberas relinquit, evadunt hoc modo opera indebita, arbitraria nobis et propria. Ergo ex bonis hisce propriis Deo satisfacere possumus; cum ipsius benignitate factum sit, ut sua munera patiat esse nostra merita, ut tradit S. Augustinus.

Deinde per gratiam sanctificantem efficimur filii Dei, membra Christi et habitacula Spiritus sancti; ergo cum opera nostra, ut a Spiritu Christi in nobis habitante procedunt, infinitatem quamdam habeant, etiam æqualitatem aliquam cum injuria, qua Deum peccando offendimus, sortiuntur.

Ad hæc Deus non sibi per gratiam reconciliando debitam peccato æternitatem pœnæ condonat; ergo multo facilius pro reliquiis temporalibus homo justus per actiones bonas satisfacet condigne: quandoquidem congrue satisfacimus pro pœna æterna.

Denique si meretur justus ex condigno gloriam æternam, quanto magis ex condigno satisfacere potest pro pœnis temporalibus, quod multo est minus; cum post Tridentinum Sess. 14. cap. 8. et 9. Pius V. et Gregorius XIII. damnando propositionem Baii 77^{am}. aperte asserant, nos eodem modo quo meremur, satisfacere, idque vere ac proprie. Dicta autem propositio damnata ita habet: *Satisfactiones laboriosæ justificarum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatum.*

223. *Obj. I.* Peccata gratis remittuntur, ut novimus ex S. Scriptura et

Patribus, præsertim Ambrosio L. 10. in Luc. c. 88. (opp. t. 1. p. 1323. A.) ubi, *Non invenio, inquit, quid (Petrus) dixerit; invenio quod fleverit: lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego.* Ergo non possumus satisfacere pro pœnis peccatorum.

R. D. Ant. Peccata remittuntur gratis quoad culpas et pœnæ æternitatem C. quoad pœnas temporales N. S. Ambrosius verbo, *satisfacere*, ulitur pro excusare se, sicut et Paulus Act. 24. v. 10. *Bono animo pro me satisfaciam*; nam idem Ambrosius antea n. 87. scripserat: *Maluit ipse suum accusare peccatum, ut justificaretur fatendo, quam gravaretur negando.* Quamquam et ipsa pœnæ temporalis remissio, licet per satisfactionem redemptæ, gratuita adhuc dici debeat; eo quod sine gratia Dei satisfieri ne a justis quidem possit.

Inst. 1. Si Deus operibus nostris propitiatur, ergo frustra Christus dicitur propitiatio pro peccatis nostris Joannis epist. 1. c. 2. v. 2. et c. 4. v. 10. et Isai. 53. v. 5. *Livore ejus sanati sumus: et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* et 1. Petr. 2. v. 24. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.*

R. D. seq. Si Deus operibus nostris mere naturalibus et humanis placatur, Christus non est propitiatio C. si Deus propitiatur nostris operibus, omnem vim et dignitatem habentibus ex merito crucis et gratia Christi, Christus non est propitiatio N. Hanc distinctionem studiose adhibet Concilium Tridentinum nuper cit.: Christus omne pretium large effuseque pependit; sed iis tantum prodest, quibus per instrumenta divinitus ordinata applicatur, inter quæ referuntur preces, eleemosynæ et austeritates corporis. Necesse autem prorsus erat, ut persona, qualis Christus est, pro culpa et reatu æternæ damnationis satisfaceret, cum id homo peccator et inimicus Dei minime potuerit. At vero ut primum, remissa culpa et damnatione æterna, filii Dei evadimus, ipsi in Christo et per Christum sufficimus ad satisfaciendum pro pœnis temporalibus.

Inst. 2. Mutatio morum, juxta Patres, optima est pœnitentia; ergo satisfactio est superflua.

R. D. Ant. Mutatio morum cum contritione, confessione et satisfactione est optima pœnitentia C. sola morum mutatio N. Unica hæc mens est Patrum. S. AUGUSTINUS hom. 50. c. 13. L. 50. homil. (al. hom. 331. c. 3. n. 12.) *Non sufficit, inquit, mores in melius commutare, et a factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.* Eadem habet cap. 7. Enchiridii. Et ante eum S. CYPRIANUS epist. 18. (alias epist. 54. et 59.) ad Cornelium, adversus eos, qui lapsos statim reconciliari volebant: *Intercedunt, inquit, ne exoretur precibus et satisfactionibus Christus... ne Deo indignanti satisfiat... datur opera, ne satisfactionibus et lamentationibus istis delicta redimantur, ne vulnera lacrymis abluantur.*

224. Obj. II. Non potest ex condigno et ad æqualitatem satisfieri Deo ab homine pro culpa, ergo neque pro pœna.

R. N. Cons. Satisfacere pro culpa est simul restaurare amicitiam cum

Deo: ad omnem vero satisfactionem hominis erga Deum requiritur acceptatio Dei: acceptatio autem Dei jam præsumit Dei amicitiam; ergo est impossibile satisfacere condigne pro recuperanda Dei amicitia. Deinde sicut offensio habet infinitatem aliquam ex parte objecti, ita ut sit æqualitas, satisfactio pro ea debet habere infinitatem aliquam ex parte principii satisfaciendi: hæc autem infinitas deest peccatori, qui ut homo est mera creatura; neque opera ejus satisfactoria fiunt a Spiritu Christi ipsum inhabitante, sive ab homine ut membro Christi ac filio Dei per gratiam et caritatem effecto; quippe qui ante expiatam aut gratis donatam offensam est adhuc peccator et inimicus Dei. E contra satisfactio justis pro residua pœna non est restitutio honoris, nec recuperatio amicitie, sed tantum compensatio, qua restauratur æqualitas justitie, luendo debitum pœnæ temporalis; quod utique præstari potest ab homine Deo grato ex bonis ipsi propriis, cum ad justitie æqualitatem non requiratur æqualitas personarum.

Inst. Gloria æterna est præmium æquale bono operi; ergo omnis ejus vis et valor exhauritur promerendo gloriam, neque sufficit ad obtinendam ex condigno remissionem pœnæ.

R. D. Ant. Gloria æterna est præmium æquale operi ut merito C. ut satisfactorio N. Ant. et Cons.

ARTICULUS III.

CONDITIONES AD SATISFACTIONEM EXTRA SACRAMENTUM REQUISITÆ.

225. Dico I. Ut opus pœnale sit condigne in actu secundo satisfactorium et temporalem pœnam certo tollat, requiritur acceptatio divina. Ita Suarez contra Vasquez.

Prob. I. Deus ut supremus Dominus posset opus istud pluribus aliis nominibus exigere; ergo nisi ipse illud tanquam satisfactionem pro pœna debita destinaverit, non potest illo pœna certo tolli.

Prob. II. Supremi Judicis est reo pœnas commutare, non autem sontis.

Prob. III. Satisfactiones nostræ sunt perinde æquales pro pœnis hujus, ac alterius vitæ; sed certum est, eas sæpe non sufficere in actu secundo pro pœnis hujus vitæ, defectu solius acceptationis divinæ; ergo quod sufficiant pro pœnis vitæ alterius, soli divinæ acceptationi adscribitur.

Conf. Anima a corporibus soluta non satisfaciunt pro pœnis, licet intensissima contritione peccata detestentur; neque etiam per pœnas in purgatorio patientissime toleratas: atqui horum alia ratio reddi nequit, quam quod Deus hos actus in eum finem non destinaverit; ergo.

226. Dico II. Ut condigne quis pro temporalibus pœnis satisfiat, opus est, eum adhuc esse viatorem et in Dei gratia.

Prob. 1^a pars. Hoc discrimen inter satisfactionem et satispassionem intercedit, quod Deus in hac vita ipsam voluntariam acceptationem et perpersionem pœnæ, tam sponte susceptæ, quam divinitus nobis immisissæ admittat in partem satisfactionis et expiationis, ita ut satisfactio ista hac ratione

censeatur actio nostra : e contra quia Deus voluntariam tolerantiam pœnarum vitæ alterius non computat in partem satisfactionis, totum quod miseri illi justi etiam libentes sustinent, æstimatur duntaxat ut passio, neque computatur in partem pœnæ satisfactoriæ ad tollendum reatum. Quapropter Christus Joan. 9. v. 4. *Venit nox, inquit, quando nemo potest operari. Ubi per noctem alterius vitæ statum innuit : nam etiam se ipsum inter eos, qui nocte ingruente nihil operari possunt, comprehendit.*

Prob. 2^a. pars ex TRIDENTINO, quod satisfactionem omnem nostram fieri dicit per Christi gratiam, in qua vivimus.

227. *Dico III.* Ad satisfactionem condignam non sufficit actionem esse liberam, honestam et supernaturalem, sed insuper requiritur, ut sit laboriosa.

Prob. Satisfacere est cum consensu offensi iudicis prævenire pœnam ab hoc infligendam, et eam ita evadere, quia æquum non est, ut idem bis puniatur; ergo satisfactio est actio justitiæ vindicativæ: atqui omnis vindicta exigit pœnam; ergo satisfactio omnis consistit in actione pœnali et ærumnosa.

228. *Obj. I. cont. 1^{am}. concl.* Malæ actiones, secluso decreto et comminatione Dei, merentur pœnam, quia ponunt inæqualitatem cum jure divino: atqui actiones satisfactoriæ hanc inæqualitatem tollunt pretio suo intrinseco ante omnem Dei acceptationem extrinsecam: talis enim promissio non auget valorem operis intrinsecum, ergo non egent acceptatione Dei, sed Deus debet acquiescere, perinde ac creditor repræsentata pecunia debita.

R. D. M. Mala opera secluso Dei decreto merentur pœnam in actu primo *C.* in actu secundo *N.* Ubi lex non est, nec est legis transgressio seu peccatum, aut inæqualitas cum divino jure. *D. etiam min.* Actiones satisfactoriæ hanc inæqualitatem tollunt in actu primo *C.* in actu secundo *N.* Ante divinam promissionem sunt idoneæ ad satisfaciendum, si Deus nolit ipse pœnas sumere, et actiones bonas aliis nominibus exigere. Unde apparet ratio disparitatis evidens: nam solius iudicis est pœnas decernere aut mutare; mereri autem pœnas est peccatoris solius. Neque ad rem est exemplum creditoris humani et debitoris: nam hi ambo jura et bona propria ac diversa habere possunt; cum e contra substantiæ creatæ, quidquid sunt, Dei sint.

229. *Obj. II. cont. 2^{am}. concl.* Satisfacere est æquale reddere: atqui peccator pœnam sibi debitam sustinendo, æquale reddit; ergo non opus est ad condignam satisfactionem statu viatoris et gratiæ.

R. D. M. Satisfacere est æquale reddere consentiente et probante supremo Iudice *C.* hoc non consentiente *N.* Sine gratia Christi in hac vita nulla satisfactio esse potest. Quod autem in altera sustinent damnati, inviti patiuntur; ergo nequit esse satisfactio; cum ne bonam quidem voluntatem, qua justus in purgatorio supplicia admittunt, Deus pro satisfactione acceptet.

230. *Obj. III. cont. 3^{am}. concl.* Si satisfactio debet fieri per opus pœnale;

ergo actus caritatis, licet perfectissimæ virtutis, esset minus ad satisfaciendum idoneus, quam actus abstinentiæ.

R. D. seq. Si actus caritatis sit valde languidus, et actus abstinentiæ sit admodum intensus et ærumnosus *C.* secus *N.* Omnes actus honesti sunt habiles ad satisfaciendum: nam quia adversantur bono alicui sensibili, nobis sunt difficiles et ærumnosi. Quod si hominibus virtute perfectis faciliores videantur, ob habitum vehementer intensum, non minus sunt ideo satisfactorii, cum actio ex virtute absoluta profecta præstantior omnino sit. Cæterum in hoc differt satisfactio a merito, quod hoc non augeatur intensive ab opere externo adjuncto et continuato; nam meriti pretium maxime petitur ab honestate actionis internæ: cum e contra opus inde dicatur satisfactorium, quod pœnale sit et ærumnosum; ergo cum opus externum secundum se pœnam et ærumnam augeat, addit vim satisfaciendi actui interno, a quo fuit imperatum, etsi hic physice amplius non perseveret. Ex hucusque disputatis

231. *Coll. 1^o.* Satisfieri etiam per opera alias præcepta, licet non peragantur a nobis animo satisfaciendi, sed tantum studio placendi Deo. Nam Tridentinum Concilium Sess. 6. cap. 10. docet, nos non tantum per actiones bonas ultro admissas, sed etiam per præceptas mereri augmentum gratiæ et gloriæ. Ratio autem tota, cur per bonas actiones satisfaciamus, est, quia sunt pœnales, fiuntque per Christi gratiam, in qua vivimus, et Deo placemus.

2^o. Hactenus actum esse de satisfactione, quæ ex opere operantis exhibetur: ad quam tamen observa, neminem per se teneri. Neque enim justitia vindicativa exigit, ut quis de se ipso supplicium sumat; sufficit ergo illi satisfieri in purgatorio. Neque etiam lex caritatis quemquam graviter adstringit ad avertendum a se malum, nisi irreparabile, et quo inimici Dei constituimur: neque jubet procurare accelerationem beatitudinis, ad ejus perfectionem procurandam neminem sub gravi culpa obligat. Et quis peccati lethalis damnabit eum, qui veniale peccatum adhuc in mortis articulomitteret, aut de venialibus omnibus non contereretur tunc, quando scit, se amplius satisfacere non posse.

ARTICULUS IV.

DE SATISFACTIONE INJUNGENDA IN SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

232. *Dico.* Sacerdos, spectata gravitate peccatorum et facultate pœnitentium, tenetur pœnam peccatis proportionatam illis injungere.

Prob. I. Ex usu perpetuo Ecclesiæ, quæ pœnitentes nunquam sine conveniente satisfactione imposita absolvit.

Prob. II. Concilium Laodicænum seculo IV. celebratum canone 2., Concil. Carthaginense III. sub finem ejusdem seculi IV. can. 31., Turonense III. anno 813. can. 22., Chabillonense II. eodem anno can. 38., Moguntinum I. sub Rhabano anno 847. can. 31., Wormaliense anno 868. can. 23., et Tridentinum Sess. 14. cap. 8. præcipiunt, debere sacerdotes, quantum spiri-